DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
TRACTANS

DE

ASCITE

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE AC LEGITIME CONSEQUENDA

IN

CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Joann Chrysost. Frieb,

Moravus Iglaviensis.

theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die 30. *Mensis Junii anni* 1834.

Vindobonae,

Typis Francisci Ludwig.

Sic quibus intumuit suffusa venter ab nuda quo pl
sunt potae plus sitiuntur aquae.

Ovid.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops nec sitim pel
nisi causa morbi fugerit venis et aquosus all
corpore languor.

Hippocrates.

REVERENDISSIMO
PERILLUSTRI AC AMPLISSIMO
DOMINO DOMINO
B E R T H O L D O
E N G S C H M I T T
ORD. S. BENEDICTI MONASTERII AD
SCOTOS VIENNAE PRESBYTRO. —
ES. REG. GYMNASII IBIDEM PROFESSORI
E T
MONASTERII ARCHIVARIO.

VIRO

INTEGRITATE, SCIENTIA, HUMANITATE

AEQUE INSIGNI.

FAUTORI SUO BENEVOLENTISSIMO

PRIMA HAEC IN LITTERIS CONAMINA

CEU

SPECIMEN PIAE VENERATIONIS

CULTUSQUE PERENNIS OFFERT

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

Morbi conceptus.

Ascites — Graecis: ασκιτης (a vocabulo graeco ασκος, uter — Schlauch — quoniam in hocce morbo aqua fluidumve aliud morbosum quemadmodum in utre continetur in abdomine) — Gallis: Ascite — Anglis: Ascites — Dropsy of the Belly. Nobis: Ascites — Hydrops abdominis die Bauchwassersucht: — Est morbus. Chronicus (afebrilis — apyrectius) pertinens ad magnam classim morborum systema reproductivum praecipue occupantium (Plastoses) et catexochen ad morbos systematis lymphatici (cachexias) quorum propriam quasi formant familiam Intumescentiae — (Exoedeses) harum deinde tamquam genus sistens hydropem, speciem: hydropem abdominis.

Repraesentat autem hydrops abdominis abnormem fluidi serosi vel lymphatici collectionem, quod fluidum aut in cavo abdominis est effusum — hydrops abdominis diffusus — quae denominatio ab antiquissimis temporibus est in usu, licet quibusdam medi-

cis recentius hanc hydropis speciem jam Hydrogaster (Baumé) jam Hydroabdomen compellare placeat — aut in saccis propriis inclusum — Hydrops abdominis saccatus; — Tales sacci formantur aut ex peritonaeo ad organa singula sese reflectente, aut ex omento, vel ex mesenterio — aut spatium explent inter peritonaeum et musculos abdominales, aut plane novae sunt formae, difficilius interdum cognoscendae.

Symptomata morbi ejusque decursus. Nomine prodromorum consuetim veniunt symptomata sequentia: vitia digestionis alvus dificilis, habitus leucophlegmaticus, dolores tensivi rheumaticis non absimiles in abdomine, regionem lumbalem etiam occupantes et in extremitatibus inferioribus. —

His accedit abdominis intumescentia, ten sior ab initio magis, et aequabiliter distribut deinde laxior et fluctuans in situ horizonta aegroti. — Imago Ascitae diffusi.

Increscit paulatim ubique conformiter a dominis tumor, usque dum, vi ponderis su regionem occupat infimam, sive hypogastrica In altiori gradu facilius innotescit haec int mescentia, visu non solum sed etiam tact per explorationem abdominis manualem, du columna aquosa ventrem explens ad levem cu

digitis in uno latere abdominis percussionem, volam manus simul in adverso latere impositae verberat. —

Quo plus tractu temporis tumor increvit, eo magis functiones turbantur organico-vitales. Sitis adaugetur, respirium evadit anxium et difficile, motus impediuntur voluntarii, tumescunt sensim sensimque extremitates inferiores praesertim in dorso pedum et circa malleolos, serius deinde crura scrotumque.

Quo magis deinde volumen increscit abdominis et extremitatum inferiorum, eo plus marcescunt partes singulae, ut plurimum tamen extremitates superiores. — Sub ulteriori decursu pectoris intrant angustiae, tussis sicca, Cardiopalmus, quibus superaccedit febris hectica, sociis: Erysipelate pedum et Anasarca.

Gangraena denique viscerum abdominis et intestinorum, nec non Apoplexia — scenam claudunt horrendam.

Aliam faciam praesefert A s c i t e s s a c c a t u s, tumor enim abdominis nec sub motu corporis nec ad peccussionem digitorum formam alterat aut situm; nec aequabiliter ubique expansum est abdomen, sed tumor est magis circumscriptus, recellens, fluctuans, et nonnisi magnam si attingat extensionem, diffusum simulare valet hydropem. — Fluidum porro mor-

bose collectum in hydrope saccato magis est gelatinosum, habitus aegri non est adeo cachecticus, functionum turbae sunt quoque minores. —

Differt Ascites

a statibus, quibuscum secus magnam exhibet similitudinem, et quidem

1. a Graviditate, nam praeter symptomata huic vitae statui modificato propria, per motus foetiles et explorationem obstetriciam obtenta, feminis gestantibus color est ut plurimum sanarum, et amoenus, qui est contrarius feminis exhydrope laborantibus et lactis ad instar ex albo quidquam caeruleus. Illis praeterea mammae turgescunt et attactui tensae apparent, his vero sunt ubera mollia et flaccida.
2. Ab Hydrometra. Quamvis eadem in regione caput extollat ac Ascites, et eandem simulet fluctuationem, difficilius tamen ac iste tactus ope percipitur. Morbus etiam tardius evolvitur, symptomata quoque minus clara sunt et pauciora quam quae hydropi generatim conveniunt. — Feminae quibus hucusque normaliter fluxere menstrua, nunc fluxus hujus patiuntur turbas. — Sensus tandem ponderis in

testinum rectum et partes adjacentes prementis Hydrometrae peculiaris est. — Distinguendus est Ascites

3tio a Tympanitide, ubi percussum abdomen proprio modo resonat. Gravatio veluti e mole quadam tantum abest ut ab aegro percipiatur ulla, ut iste potius ab omni molestia liberum se jactet. — Porro tympanites incipit primum vel in regione mesogastrica vel in epigestrica, compresso adparenter utrimque abdomine et collapso, veluti concavo. — Nec adest oedema pedum, integumentum abdominis colorem ostendit album ceu naturalem, recellens est, non oedematosum. —

4to A Physconiis organorum abdominalium in quibus abdominis deest fluctuatio. — Simulant quoque hydropem abdominis

5to Hydropes saccati ovariorum et tubarum Fallopii, doloribus et tumore sese manifestantes in regione iliaca. —

Sensim increscit ille tumor et omne cavum explet abdominis. — Fluctuatio minus est clara, saltem ab initio morbi, quam in Ascite. — Habitus cachecticus haud umquam ibi praecedit et fere nunquam simul adest, abdomen minus intu-

mescit et tardius, minus impeditum quoque sub motu respirium. — Appetitus vigere non desinit, sitis vel est modica vel plane decrescit, oedema denique pedum serius in conspectum venit.

Cadaverum dissectio.

Medicus pathologicam instituens dissectionem in Ascite defunctis, varias inveniet metamorphoses atque conspicuas partium solidarum, et fluidorum alienationes. — Abdomen nimirum sero gasibusve in intestinis aut in cavo peritonaei contentis expansum adparet.

Quantitas effusi seri varia reperitur a duabus ad 20 — 30 libras et ultra. —

Qualitas quoad characterem physicum et chemicum quoque diversa. Mox enim innatant sero flocci albuminosi, mox particulae pseudo membranis residuae. — Color seri jam flavus, isque consuetim citrinus, est; jam magis viridescens. — Sensum odoris f rit ammoniacalis foetor. — Quamprimum autem hydrops ab adfectione dependet morbo membranarum serofarum acuta vel chronica tum serum istud abnormem fere semper exhibet indolem; turbidum est et lactescens cu innatantibus floccis albumineis ex Peritoniti anteacta; fuscum autem, nigricans et cruentu

quodsi vasa sanguinem ploraverint. — Collectio effusi seri fit consuetim in loco quodam plus minusve circumscripto, unde locomoventur deinde et comprimuntur intestina spatium angustius occupare coacta. —

Peritonaeum incensum saepe reperitur et interna ejus superficies strato crasso albuminoso obducta, qualis esse solet post inflammationes vehementiores; praeterea quoque jam ad minorem jam majorem partem obsita tuberculis albis et granulatis. —

Interdum per adhaesiones ejusdem factas in sequelam antecessae phlogoseos, formata visuntur interstitia sacci formia parietibus a se invicem dissepta, quo in casu deinde per punctionem abdominis non omnis evacuari potest aquae serive aut lymphae collectae quantitas. — Nonnumquam etiam Peritonaeum hic et ibi, vel in majori extensione texturam exhibet et structuram morbose mutatam, quod etiam valet de organis abdominalibus.

Aetiologia.

I. Causae disponentes:

In genere peritonaei extensio, numerus et dignitas organorum illo obductorum, hinc in contactu vix non immediato cum illo exsisten-

tium, variae causae morborum, ex quibus haec organa laborare solent, haud ullum amplius nobis relinquunt dubium de origine et frequentia hydropis abdominis cum immensa effusi fluidi cujusdam morbosi copia.

Disponuntur porro puer et senex (Camperius Asciten quondam in neonato praesto fuisse narrat) ille ob praevalentem hic ob deficientem systematis lymphatici vigorem. Sexus autem sequior ob actionem vasorum resorbentium praedominantem

Disponunt etiam ad frequentiorem ascitae genesim: amplum arteriarum abdominalium lumen, defectio valvularum in venis systematis venarum Portae, copia et teneritudo parietum illarum venarum, magnus numerus et volumen glandularum abdominis lymphaticarum, extensio magna peritonaei et musculorum abdominalium sub statu feminarum gravido, — e. s. p. —

Dispositi sunt in hunc morbum praeterea homines pastosi, quibus est habitus phlegmaticus et homines obesitate mulctati, quin tamen excepta sint subjecta plethorica, vehementiorem sanguinis circuitum et uberiorem humorum ad viscera confluxum lugentia, unde major evadit exhalatio. —

Ut plurimum vero disponunt ad hydropem

abdominis morbi anteacti, deformationes organorum, quae in altiori gradu usque ad dignitatem causarum excitantium evehuntur.

II. Causae excitantes:

In duas tribus dispescere causas occasionales docent principia Celeberrimi et Clarissimi Domini Professoris Ig. R. Bischoff, sunt nimirum

1. Causae, quae ratione inversa ad resorptionem, minorem excitant exhalationem.
2. Causae, quibus justo minor debetur actio vasorum resorbentium.

Ad seriem causarum priorem referuntur: Error in diaeta, victus opimus, modum excedens spirituosorum ingurgitatio. Suppressio transspirationis, illius praecipue quae contingit sub axillis et in pedibus, suppressio secretionis urinae, qualis est e. g. Diabetes mellitus, nec non suppressio fluxus alvini, ut fluxus coeliaci — profluvii cruenti, consuetudini jamjam cedentis, e. g. Epistaxeos, fluxus haemorrhoidalis, catamenialis. — Sistunt porro causas ulcera intempestive clausa, metastases, Exanthemata suppressa. — Phlogosis organorum, illorum praecipue, quae praesunt exhalationi humoris serosi, hinc: Meningitis, Pleuritis, Pericarditis et Peritonitis. — Morbi

contagiosi denique, praesertim scarlatina, nonnumquam etiam morbilli et Erysipelas. —

Ad causas tribus alterius referuntur in genere omnes influxus, quibus vires dejiciuntur vitales, unde quoque per haemotosim latex paratur nimis aquosus, morbi denique quibus impediuntur motus liberi vitales, in specie motus humorum lymphaticorum.

Praeter causas, hydropi in genere proprias peculiares agnoscit Ascites, et huc referuntur in specie causae quaecunque statum inducunt paralyticum, uti sunt: nimia sub graviditate extensio peritonaei et repentina illius post partum relaxatio, dolores quoque ad partum et sub ipso, frictiones abdominis ineptae, manuum etiam obstetricatoris aut obstetricis adplicatio inepta. Aër homines ambiens humidus et frigidiusculus, hujusque conditionis habitacula. Victus aut depravatus aut plane deficiens, vita sedentaria, animi pathemata deprimentia, tarda e morbis gravioribus reconvalescentia. —

Jactura humorum per profluvia cruenta et diarrhoeas. Huc pertinet etiam remediorum emeticorum et purgantium abusus, qui fit aut ex consuetudine perversa, vel in tractatione morborum injusta, venena resumta, tandem colluvies verminosa, flatulenta etc. —

Obstructiones, indurationes et suppuratio lienis hepatis ex inflammatione praegressa, Scrophulae, Tumores cystici et Lipomata, vitia cordis et vasorum majorum, qualia sunt: Ossificationes, Aneurysmata, Varices, rupturae cystarum in abdomine formatarum et vasorum resorbentium, horumve per uterum gestantem compressio, corporis nimia per vestes angustas, pericelides etc. coarctatio. —

Interdum affectio spastica vasorum resorbentium hydropem causare valet praesente simul totius organismi adaucta irritabilitate, quod accidere solet hypochondriacis, feminis hystericis, post haustum corpore aestuante potum frigidum, aut refrigerium corpore sudante perpessum, febres intermittantes per longius tempus neglectae, vel tractatae modo prorsus empirico, non habita ratione circumstantiarum quarumdam, ope remediorum antifebrilium, corticis Chinae aliorumque magna fama in debellandis febribus intermittentibus gaudentium, quae febres si obveniunt in hominibus, quorum vires tot morbis eorumque diuturnitate jamjam sunt labefactatae, quorum itaque viscera debilitata remediis istis veluti mole quadam obruuntur peregrina, unde postea tales febres potius supprimuntur ac sanantur.

Secundum hanc causarum diversitatem hy-

drops abdominis diversas sortitur de nominationes in usum practicum adcommodatas, datur nimirum: Hydrops inflammatorius — acutus — Hydrops spasticus, paralyticus; metastaticus et ex vitio organico — chronicus. —

Terminationes.

Exitus Ascitae triplex observatur:

1. In sanitatem, nisi praesto fuerit ali cujus organi aut plurium insimul quoa texturam et structuram defectio, sed ub solummodo adparitiones vitae quas dyna micas dicimus, a norma desciverint; s morbus nondum longe duraverit, si por ro subjectum caeteroquin habitu gaudea firmo et prospero praeter quod non si aetatis nimis provectae, sexus vitaequ rationis vicissitudinibus non adeo castiga tum: consuetim per copiosu urinae fluxum. — Nonnumquam aege e periculo salvus evadit per vomitum co piosum aut etiam diarrhoeam serosam id fit quoque, si fluidum, quod erat mo bose collectum, et quod in cavis coire v demus turbato processu electrico vitali si liquidum inquam, istud per natura conamen non solum egeri, sed etiam qua

collectionis aquarum fuit ansa, per artis molimen possit auferri. —

Frustra tamen exspectatur salutaris iste exitus, antequam cutis mollis evaserit et humida. —

2. Transit Ascites in morbos alios: in tabem, praeprimis autem in inflammationes erysipelatosas et in gangraenam.

3. In mortem fieri transitum videmus: per nimiam liquidi in cavo abdominis effusi collectionem, atque per illius, ob diuturnam illinc remoram, dissolutionem chemicam, per oppletionem porro viscerum, praecipue organorum pectoris et cerebri; mors itaque per suffocationem exinde et per Apoplexiam. —

Divisio.

Consuetim dirimitur Ascites:

A. Juxta extensionem in
- diffusum et
- saccatum

B. Juxta decursum, in
- acutum et
- chronicum

Dispescitur ab aliis:

Juxta causam excitantem in
- idiopathicum
- symptomaticum
- metastaticum.

Juxta characterem dividi solet in
- activum et
- passivum.

hunc utrumque vero coincidere cum illis su
B. adlatis existimo.

Ratione habita qualitatis effusorum Asc
tes rite discerni potest adhuc ut

1. serosus
2. lymphaticus,

ubi fluidum morbosum effusum aut serosu
est aut lymphaticum. Utrique vero nome
convenit genuinus.

3. urinosus
4. lacteus
5. purulentus,

ubi per secretionis processum morbosum mem
branae serosae urinam fundunt aut fluidu
lacti simile aut verum pus. Urinosus ascite
et perulentus, uterque dicitur etiam spuriu

Ascites paucis in casibus est affectio pr
maria vel idiopathica, i. e. per actio
nem vasorum exhalantium simul et absorben
tium anomalam, catexochen, causata.

Ch. Lepois et Morgagni plures ad
ferunt Ascitae casus, quos originem debuiss
dicunt haustui copioso aquae frigidae sub de
cursu febris inflammatoriae, vel sub paroxys
mo febris intermittentis, ubi vero morbum
usui remediorum purgantium, eccoproticorum
aut evacuationibus spontaneis cessisse narrant

Py de Narbonne se vidisse profitetu
Ascitam idiopathicum confestim et quasi spon
te enatum in infante duodecim annorum in se
quelam in somnii anxii *(Annales de Montpe
lier An. IX. p. 132.)

Ascites idiopathicus ille quoque fuit, d
quo nobis narrat Noël (*Essais sur l'hydrop

Paris An. IX) a quo fuit correptus infans
nnorum post iteratam Emesim, per largum
o remediorum diureticorum usum iterum
eratus.

Ascites idiopathicus saepius occurrit in
nubio cum aliis hydropis speciebus, im-
mis cum Anasarca eaque vel praeceden-
vel post effusas in cavum abdominis aquas
unda.

Ut plurimum Ascites sistit symptoma mor-
rum aliorum, aut pectoris aut abdominis,
mbranae enim serosae quamvis non existant
nexu intimo vitali cum organis quae circum-
ntur ab illis, tamen adfectionum participes
nt horum organorum, cordis nimirum, he-
tis, lienis, ventriculi et uteri, adeo ut has
fectiones postea variae seri collectiones in
vis majoribus concomitentur.

Difficilior est interdum Ascitae idiopathi-
a symptomatico distinctio, tum praecipue
tardo pede intraverit et eousque pervenerit
i organorum conditio dijudicari nequit am-
ius. — Facilior ubi symptomata praegressa
nsiderare licet, ubi morbus subjectum quod-
am ceteroquin sanum, aut mox post refrige-
um aliquod invasit, aut post haustum potus
uosi immodicum etc. si quoque cognitum
t, talem aegrotum antea laborasse ex malis
versis organorum abdominis aut pectoris.

Ascites metastaticus sequitur etiam
anthemata, imprimis scarlatinam, miliariam,
eruptio vel non perfecte vel nimis tarde
ebat aut aegrotus durante stadio reconvales-
ntiae refrigerio semet exposuit. —

Oritur itidem ex Rheumatismo, Arthritide, Exanthemate retrogrado v. g. herpete, nec non ex scabie. — Haec Ascitae forma non est adeo periculosa, nec easdem involvit indicationes.

Ascites acutus (activus) homines invadit juvenes fortes, bene nutritos, eademque profert in decursu suo symptomata pathognomonica, quae propria sunt cuicumque phlogosi, adest enim pulsus durus, sitis adaucta, urinae parva quantitas, cutis colore tincta normali, magis resistens digito prementi, quae impressio mox evanescit, quoniam textus cellulosus in hac hydropis specie tonum non amittit. —

Suppressio profluvii cruenti habitualis — e. g. fluxus menstrui, aut fluxus haemorrhoidalis huic hydropis formae saepius ansam praebet oriundae.

Defectus causarum, quae debilitatem inducere potuissent, status ex adlibitis remediis diureticis acribus pejor, ejus amotio per haemorrhagias spontaneas, aut artificiales sanguinis detractiones non amplius dubias relinquunt causas. — Exstant hujusmodi exempla in libris Bacherii, Saviard e. a. —

Ascites, qui passivus appellatur, ab aliis asthenicus dictus, sat frequenter obvenit in hominibus, quibus temperamentum est phlegmaticum, et in senibus. Producitur porro causis debilitatem inferentibus, morositate longinqua, vitae ratione sedentaria, victu depravato nutrimentis scilicet ineptis, habitaculis obscuris, humidis et profundius si-

s, haemorrhagiis aliisque spontaneis evacua-
onibus, quales sunt diarrhoeae, sanguinis
enique detractionibus nimiis. —

Adcusatur etiam abusus purgantium in
actandis quibusdam morbis, quos deinde
equitur haec Ascitae species; per potulenta
pirituosa, quorum effectus, tonum adaugens
st fugacior et mox debilitatem inducit; deni-
ue per ingurgitationem potus calidi pariter
frigidi. —

Prognosis.

Sexus, aetas constitutio, temperamentum,
vendi ratio, morbi anteacti, eorum forma et
uratio, intensitas morbi praesentis major aut
inor: prognosim reddunt plus minusve fau-
am, in genere vero infaustam praedicare li-
t. Periculosior est Ascites acutus, pertina-
or chronicus. — Ascites idiopathicus ortus
immodico usu potus frigidi etc. sic et me-
staticus post exanthemata febrilia, minus of-
runt periculi, quam Ascites symptomaticus.

Quoniam multum interest novisse momen-
quaedam e quibus securius concludere li-
at secundamne sortem aeger sit nacturus an
versam, in hunc scopum jam pridem auc-
res experientia longa firmaque ducti sympto-
ata morbosa distinxisse in symptomata
usta et symptomota infausta, qua-
cum sat constanter in Ascite quoque sint
via, magnum in commodum practicum com-
emorasse juvabit.

Symptomata infausta:

Consuetim in malam aegroti sortem ver-

titur Ascites obveniens in infante vel sene. Pra
terea status virium ex haustarum, calor cut
urens, sitis vix fallenda, simul ardor fauciur
cutis sicca, marcor in dies major, brachioru
praecipue, maculae lividae comparentes
cute, intumescentia mannum, dyspnoea, tu
sis continua, brevis, sanguinis circulus acc
leratus, urinae parva copia, foetorem emitte
peculiarem, turbida, colore obscure rub
tincta, sedimentum crassum deponens, Epist
xis, metrorrhagia, profluvium ex ano crue
tum etc. malum exhibent omen. Praecipue sa
guinis acceleratus circuitus graves indigitat
vitae processu turbas et exinde sequelas ho
rendas. Est enim profecto pertimescendun
vires mox exhaustas iri per circulum sangu
nis adeo a norma deflectentem. — Pessimu
omen urinae parva quantitas. — Ascites
vitio organico vel congenito vel acquisito,
Aneurysmate, ossificatione, scirrho, haud ur
quam sanabitis. —

Summe periculosus etiam, imo vix nc
semper lethalis est Ascites qui Phthysi aut Sco
buto debet originem. — Vertigo, capitis tem
lentia, vesicae parti cuidam insidentes ejusq
gangraenam indicantes, Petechiae quoque; mo
tem habere solent pedissequam.

Symptomata fausta:

Copiosus et cum levamine aeg
contingens urinae fluxus omen faustum, sistu
enim renes colatoria quorum ope permag
saepe fluidi morbose collecti quantitas e co
pore funditur. Aeque fausta quamvis rarior e

circumstantia per sudorem copiosum obveniens. — Non minus faustum symptoma sistunt dolores, quos percipiunt aegri in musculis et ligamentis, dum interea decrescit tumor, qui, pruritu cutis accedente simul ad symptomata pertinent infallibilia revertentis integritatis pristinae. —

Nec non diarrhoeae salutiferae sunt nonnumquam, ob evacuationem fluidi contra normam collecti, licet eaedem multum inferant detrimenti subjectis magnam virium jacturam perpessis. —

Motus denique febriles in Ascite acuto symptoma sistunt reagentis naturae ut plurimum salutare, sub decursu longiori tamen inde vires eshauriuntur, etsi febris quoque intermittens interdum deleverit Ascitam. —

Therapia:

Duplex institui solet Ascitae cura:

I. Per methodum contra hydropem in genere adhibitam, cujus ulteriori expositioni supersedeo, quum ipsam nuper antecessor collega Dr. Wank et recentius Dr. Baubelik in suis dissertationibus fusius pertractaverint.

Adducam tamen casus nonnullos, in quibus a methodo nunc vulgata, eaque solenni, descivere medici:

Interdum Emetica bono cum successu in hoc morbo fuerunt adhibita, tanquam ad impellendam vasorum resorbentium functionem laudata, tamen mutationes morbosae quarum in organis abdomi-

nalibus arguitur praesentia, saepe saepius illis repugnat. —

Caeterum diuretica nimia dosi porrecta emesim quoque ciere valent sine ullo levamine aegri. —

Ut autem emolumentum adferre possint remedia supra laudata aegris ex Ascita laborantibus, vires vitales sufficientes esse oportet, abdomen indolorificum, organis ejusdem sanis.

Absit porro profluvii cujusvis cruenti periculum, desint etiam congestiones sanguinis ad cerebrum.

Remedia quoque drastica, cathartica et purgantia antiphlogistica, sive eccoprotica in tractando hydrope abdominis locum sibi vindicant, quibus autem jungi debent roborantia nec non diuretica, alternatim junctimve cum illis exhibenda.

Salia media et neutra praecipue cremor tartari, et Terra foliata tartari permultum attulerunt emolumenti.

Praeamant aliqui medicorum Pilulas confectas e Squilla in connubio cum Calomele, nec non compositas e Squilla cum Gummi ammoniaco aliis magis arridet pilulae Bacherianae et illae quarum inventor Pontius esse dicitur.

Multae circumstantiae, quae repugnant usui emeticorum respuunt etiam laxantia, id praecipue sub statu organorum abdominis irritativo.

Quamprimum Ascitam comitantur diarrhöae vix eodem cum emolumento adhi-

bentur ac in Anasarca; ut non restet amplius nisi usus remediorum mere diureticorum.

Rarius adhibentur remedia diaphoretica, sudores enim exinde provocantur qui debilitatem protius inferunt et aquarum molem non tantum non imminuunt sed illam potius ad augent per effectum nunc pronunciatum secundarium, quod autem non impedit, quin valeant in casibus illis ubi hydrops Ascites invenit causam occasionalem in suppressa cutis transspiratione.

Hac ex causa ortum hunc morbum in femina vidi, quam tractandi mihi data fuit occasio, cum elapsis duobus annis praxim exercuerim medicam in clinico academico, cujus morbi historicum Elenchum hic loci proferre mihi licebit: —

„A* M* vidua, annorum 52, habitus sat fortis, constitutionis venoso-lymphaticae, temperamenti phlegmatici, sororem suam visitatura rus quondam petiit sub fine temporis aestivi. Sub sidere aestuante per totam diem iter faciens toto corpore desudabat. Talis autem cum eodem vespere ab aëre solito frigidiore afflata fuisset, altera die dysphoriam sensit universalem, quae cum non cedebat oblectationibus per lusus et convivia lauta, saluti suae consulens domum reversa nosocomium petiit militare ibique in clinicum nostrum medicum fuit suscepta. —

Erat tertia dies morbi et en! cohortem

symptomatum, quibus insignitur Ascites, quem simul comitabatur levis irritatio hepatis lobi sinistri.

Indicationibus hoc in casu satisfacturi non immemores passionis localis, curam instituimus per methodum leniter solventem simul modice antiphlogisticam. Ideoque navavimus: Decoct. rad. Gram. cum Sale amaro; et pulveres ex Calomele cum Sacch; addidimus dein Digital. qua diureticum. — Externe, ad compescendam irritationem hepatis, Hirudines ad partem dolentem et cataplasmata emollientia applicavimus. Contigi mox auferre passionem localem, restiti autem conamini nostro malum universale quod imo in dies magis increvit. Huic opposuimus remedia in simili casu ob virtutem suam adeo celebrata, uti: Calomel in connubio cum Digitali serius Extr. Squillae forma pulveris, propinavimus simu Dct. rad. Ononidis, addita Terra foliat tartari et Herba Petroselini. Ordinatae sun innunctiones abdominis extremitatumqu inferiorum, cum Oleo Terebinth. et O Lauri cocto. Ast incassum haec omnia diu tius adhibita fuere, usque dum tandem penu remediorum in scopum praesenten facientium selegimus plantam in regioni bus Sibiriae obviam, cujus herba recen tius ab auctoribus nonnullis magna fu encomiis elata, Herba nimirum Ballo tae lanatae, cujus Dct. ex uncia un ad colat. Libr. duar. paratum pro potu e

hibuimus utpote remedium virtutis laudatae in diuresi movenda. Revera mox ad alteram hujus remedii propinationem mirandus propalam erat effectus, fluxus urinae nempe copiosus colore proprio ex profunde rubro - flavo notatae, turbidae. Hoc remedium alternatim, ob saporem ingratum, cum baccis Inniperi dedimus iisque meliori cum fructu tostis forma infusi pro potu. Mixturam simul exhibuimus ex amaro-acromaticis et aethaereis diuresi quoque prospicientibus: Calamo aromat. cum additamento Spiritus Nitri dulcis aut hujus vice acidi Sulf. diluti. — Durante cura, in vias praecipue urinales directa, non immemores eramus alvus movendae per Resin. Jalappae cum Sap. forma pilularum quarum singula granum continebat utriusque remedii unum, et effectum nobis exhibuit optatum.

Tali ratione tandem post discrimina multa, hoste tam pertinaci, qualem hic morbus semet nobis manifestavit, superato ad vires vitales sub longiori duratione morbi strenuoque tractamine dejectas erigendas, remedia in usum vocavimus amaro-aromatica uti: Calamum aromaticum - Rad. Caryophyllatae junctum cum Tinct. amara. — Tinct. cort. aurantior. et diaetam simul ordinavimus observandam restaurationi congruam. Perfecte sanatam post tractationem octo hebdomadum aegram nostram eclinico dimisimus. —"

Notandum autem est, aegram nostram praeter cardialgiam levioris gradus non ullum umquam perpessam esse morbum, nec ullum quoque adfuisse vestigium vitii cujusdam organici, qui status in subjectis ex Ascite laborantibus conditionem sistit sine qua non actionis Ballotae lanatae sicuti reliquorum remediorum in simili casu laudatorum.

Pari modo excelluit recentissimo tempore Caincae radix. Est haec remedium sic dictum laxans simul tonicum ceu roborans, praestans drasticum et Emmeniagogum fortius. — A Langsdorfio autem ipsi magna tribuitur virtus in Hydrope. Nam praeter quod tubum intestinalem non modo non debilitat huic potius tonum impertire dicitur. Praescribi solet forma pulveris cortex radicis, infunditur quoque integra radix. Dosis qua exhibetur pulvis est ad grana 5—10 in connubio cum Elaeosaccharo Cinnamomi v. a. quater de die sumenda. — Ad parandum infusum requiruntur drachmae duae ad Libram unam aquae fontanae, unde bis de die capiat aeger vasculum unum. — Decoctum quoque paratur e radice cum aquae font. Libris duabus ad colaturam unciarum octo, cujus bis quaterve de die proprinantur cochlearia cibaria duo. — Pars efficax haerere dicitur in cortice radicis. —

Praeter methodum mere evaucantem adhibentur etiam praesente debilitatis quodam gradu remedia amara, et cum remedia superius memorata spem saepe fallant, alternatim sunt tentanda donec inventum fuerit unum, quod optatum exserit effectum.

Attamen non sufficiunt remedia in ventriculum ecepta sive interna, nisi simul in usum vocentur xterna, quo respectu plurimum valet methoius sic dicta endermica — a vocabulo δερμα cuis vel corion — per adplicationem remediorum eoumque praeprimis vesicantium in cutem, imrimis ubi penes abdomen etiam tument extremitaes. — Huc pertinet etiam frictiones, jam a Gaeno et Celsio multum usitatae cum Oleo, consueim olivarum admixto prore nata Oleo Terebinhinae, vel Oleo Lauri cocto, addito quoque fee Tauri, Aloë. Involutiones porro extremitatum tupa cannabina proficiunt. Nec excludenda sunt alnea: vel arenae vel e cineribus certis sub rerum onditionibus. —

Multum denique interest novisse, quibus sub ircumstantiis et quantum prosint aut noceant emedia adplicata. — Constat illa prodesse, si quantas urinae excretae superat illam assumti potus, ique cum levaminae aegri semper contingit xcretio. — Si porro sitis non modo per potum faile fallitur, sed etiam minus devexat aegrum. Si bdominis extensio evadit in dies minor. — Quodi vero vires aegri sensim delabuntur, quantitas loii minor ac illa potus assumti, vel abdominis volunen, quamvis urina large fluat, magis increscit, unc proh dolor! remedia incassum fuerunt adhibita.

II. Egregium ad morbum devincendum, et molem quidem aquarum evacuandam Chirurgia nobis suppeditat per Paracentesim abdominis; quae 1) in Ascite diffuso 2) fausto i. e. libero primarum viarum statu 3) obstructionibus viscerum sublatis 4) cachexia non praesente 5) deficiente motu febrili saepe radicalem exhibet morbi curam. — Verum etiam in aliis casibus minus faustis palliativum adfert auxilium, mox exonerando ventrem antea mole aquarum repletum et movendo statum anxium; promovendo porro et impellendo functionem vasorum resorbentium, unde tandem

efficaciam adjuvat remediorum diuresim moventium aut tonum impertientium. — Peccat igitur qui medicus indicatam inveniens hanc operationem, perperam cum illius peractione moratur usque dum vires aegri viderit dejectas et marcorem summum. — Id de Ascite diffuso.

Minus quidem valet et vix umquam tollit radicitus Asciten saccatum abdominis punctio; tamen autem plurimum ibi adfert levaminis, pro tempore saltem, nec non actionem quoque reliquorum adauget remediorum. —

THESES DEFENDENDAE.

1. Anatomia basis est Physiologiae, haec Pathologiae, Pathologia Materiae medicae, fundamentum autem universae medicinae sistit organismus.
2. In viribus qualitas non quantitas.
3. Odontalgia rarissime morbus, sed saepissime symptoma morbi.
4. Si tibi deficiunt medici, medici tibi sunto Haec tria mens hilaris, requies, moderata diaeta.
5. In tractando milite astutiae ejus ratio habenda est.
6. Adplicatio remediorum per methodum endermicam plus valet interdum quam Camphora et Moschus.
7. Qui fenestris anxie clausis aërem atmosphaericum arcere studet, ostia pandit morbis.
8. Omne calidum nervis amicum.
9. Fortes creantur fortibus.
10. Pollet imperio corpus in mentem.
11. Quo propius febris ad intermittentis naturam accedit, eo citius cortica sanatur.

12. Inter operationes ad formandum pupillam artificialem minus valet Iridotomia.
13. Quisquis sibi gloriam sanati vulneris adscribere vult se ipsum decipit et illos qui ipsi confidunt, est enim
14. Natura vera morborum medicatrix.
15. Medicina tantum ab est ut reliquas scientias excludat, ut potius omnes tamquam necessarias amplectatur.
16. Medicus non sit Euthanasiae studio alienus.